



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Concordia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** Quod si idem innuere voluissent, eandem ipsam volucrem demissa cauda pinxissent: quasi tunc nox stellas occultare videatur, cum dies ipse coeperit adventare, tamque diu latent stellæ, quamdiu Sol supra terram est.

GLORIOSUS. CAP. VI.

**V**erum eadem species, quæ noctem significabat, hominem etiam gloriæ plenum exprimebat. Pavo enim pretiosam eam caudæ suppellectilem tum plurimum ostentat, cum plurimos ad se spectandum advenisse conspexerit: quod si nullum admirari, adesseve cognoverit, eam recondit veluti indignatus. Hinc Ovidius, *Laudata Pavone superbiore* de valde sibi placente dixit. Quoniam vero femininarum est proprium, qualibet in re sibi applausum quarere, gloriosasque esse, inter Pavonem & feminam mirus quidam naturæ consensus est: ut minime mirum sit virginem in Leucadia usque adeo adamatam à Pavone, quem ipsa aluerat, ut ea defuncta ipse etiam commori voluerit.

PRODIGUS. CAP. VII.

**B** Non inepte autem nonnulli, perditio luxu prodigos, Pavonis imagine describunt, in quibus quidem cauda miræ conspicitur pulchritudinis, verum ea neque ad volatum, neque ad motum utilis: cum plerisque aliis omnibus volatilibus cauda, vel ad volatum dirigendum loco temonis cuiusdam attributa sit, aut etiam ut motum juvet, vicemque remorum subministrat: Pavoni vero ea tam ampla, tam sui prodiga, ad solam colorum ostentationem data.

CONCORDIA. CAP. VIII.

**I**n numo DOMITIÆ AUGUSTÆ IMP. DOMIT. altera facie Pavonis effigies cum inscriptione CONCORDIA AUGUST. Hæc ea Domitia est, quam Domitianus Augustam salutavit, posteaquam ex ea filiam susceperat, mox eam repudiavit, repudiatam ob instabilitatem ingenii coepit iterum deperire, iterumque eam duxit, quasi populi precibus coactus: atque huc spectare crediderim Concordiæ, quæ scilicet maxime omnium in connubiis expetitur, inscriptionem. Pronuba enim Juno, cuius Pavo, vel ex Pavone Imperium, cui fuerat restituta: sive quod cum se Domitianus Jovem appellitari pateretur, uxorem etiam Junonis honore voluerit decorari.

FORMINARUM CONSECRATIO. CAP. IX.

**S**edenim in Faustina numo, quem argenteum vidi, Pavo habetur cum inscriptione, CONSECRATIO. In numo etiam, cuius inscriptio hæc, DIVA PAULINA, caput grandioris natu mulieris ab occipitio velata, à tergo Pavo, qui eandem effigiem insidentem dorso inter alas sustollit: eadem, quæ in superiori est inscriptio, quippe CONSECRATIO. Observatum enim est in feminarum consecrationibus, Pavonem, avem quippe Junoniam, è fastigio emitti, prout in marium apotheo si Aquila Jovis ales emittebatur, quamvis in Diva Sabine Augustæ numo Aquila, non Pavo sit. Videmus etiam numo Faustinae Pie numum, in quo Aquila imagunculam cum radio gestat, cuius inscriptio est eadem, CONSECRATIO. Sed mi-



Augusta-  
rum numi.

**D**mine mirum, Faustinae Aquilam ritu virorum datum, quæ viro ipsa dederit imperium, quod etiam jure suo plerisque in rebus administrabat, non sine Marci Antonii conjugis, viri undecumque probatissimi nota, cui cum amici suaderent, principis sui ignominia offensi, repudiandam esse Faustinae, si nollet eam occidere, quæ, ut fama erat, Commodum ex adulterio concepisset, & apud Cajetam condiciones sibi & nauticas & gladiatorias elegisset: Atqui, respondit ille, fieri hoc minime potest, nisi dotem etiam reddiderimus: dos autem erat Imperium, quod ille à locero, volente Hadriano, adoptatus acceperat. In numo tamen, cuius inscriptio est, DIVÆ MAXIMÆ, cum muliebri capite, quod Lunæ insidet cornibus sursum versis, ab altera facie solus Pavo est, cauda in rotam passa: